



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

4 Quid magnificentia, & quod vitium ei aduersetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

refugere, quasi vires, quas Deus tibi dedit vel paratus est dare, superet, malum est.

Contra pusillanimitatem.

Aduersus pusillanimitatem facit consideratio diuini auxilij, quod in iis, quæ ad salutem aut uocationem nostram pertinent, nobis præstò est, exempla Sanctorum, magnitudo præmiorum, & alia quæ fiduciam augent.

DUBITATIO IV.

Quid magnificencia, & quod vitium ei aduersetur.

D. Thomas quæst. 134. 135.

30
Dupl. accipitur.
1. Generatim.

Nomen Magnificencia dupliciter accipi potest, vt colligitur ex D. Thoma q. 134. art. 1. Primò in genere, pro quauis virtute, quæ facit res magnas; siue illæ sint actiones, quas Græci *μεγαλῆτες* vocant; siue res effectæ, quæ *μεγαλῆ* facere enim aliquando generatim sumitur, vt actiones & effectiones comprehendat. Hoc modo magnificencia non est virtus specialis, & continetur etiam Deo & Christo; cerniturque in opere creationis, redemptionis, gubernationis, sanctificationis, glorificationis. hæc enim valde magna sunt, & horum ratione Scriptura tribuit Deo & Christo magnificenciam, 1. Paral. 19. Psal. 8. 110. 144. & alibi.

31
2. Speciatim.

Secundò, Pro virtute humana, quæ magnis sumptibus in externa materia aliquid magni efficit. hoc modo est peculiaris virtus, quam explicat hic D. Thomas, & Aristoteles l. 4. Ethicorum c. 2. eamque vocat *μεγαλοπρεπεία*, q. d. magnidecentiam.

Quo modo distinguitur à magnanimitate.

Distinguitur à magnanimitate, secundum Caietanum art. 2. quod hæc intendat magnitudinem in actione virtutis; (hanc enim vult magnam & splendendam efficere: vnde dicit Aristoteles, ipsam esse omnium virtutum ornamentum; nimirum quia earum actiones illustriores facit) illa verò intendit magnitudinem in opere externo, quatenus est opus artis, vel vsibus humanis accommodatum, magnos sumptus requirens, vt in extruendis Templis, Monasterijs, Collegijs, in constituendis pijs foundationibus, in epulo publico exhibendo, quando ratio postulat. De huiusmodi intellige definitionem Ciceronis, quam refert D. Augustinus, q. 31. Tract. 83. qq. Magnificencia est rerum magnarum & excelsarum, cum ampla quadam & splendida propositione cogitatio atq; administratio. In iisdem tamen versari etiam potest magnanimitas, si spectentur vt sunt magna virtutum opera, vt expressè docet D. Thomas artic. 2. ad 2. cum ait: Ad magnanimitatem pertinet non solum tendere in magnum, sed etiam in omnibus virtutibus magnum operari, vel faciendo, vel qualitercumq; agendo, vt in 4. Ethic. dicitur. Itaque magnificencia videtur vel pars quædam esse magnanimitatis, vel parum ab ea distingui, vt versatur in tali materia.

32
Officium magnificencia.

Officium primum huius virtutis est, res magnas, ad quas magno sumptu opus est, efficere, quando ratio id postulat, vel suadet. Deinde huius rei causa affectum copiosæ pecuniæ ad id necessaria moderari, ne per illum vel opus non audeat suscipere quando oportet, vel susceptum relinquat, vel non decorè perficiat. tota enim difficultas in huiusmodi splendidis operibus susci-

piendis & perficiendis prouenit ex affectu pecuniæ non mediocri, sed grandis, & ingentis summa, quæ impendenda: hic enim affectus facit vt homini valde difficile sit tantam copiam condere, quantum opus postulat. Itaque requiritur aliqua virtus quæ hanc difficultatem vincat, neq; ad hoc sufficit liberalitas, quia hæc solum moderatur affectum circa mediocres & ordinarias expensas; tollitque difficultatē, quam homo in illis sentire solet, non ex affectu magnitudinis summa, sed simpliciter ex affectu pecuniæ: at longè alia sentitur dum magnæ expensæ faciendæ; vnde oportuit maiorem quamdam esse virtutem, quæ id præstet in magnis, quod liberalitas in mediocribus: hanc magnificenciam vocamus. Simile cernitur in honoribus: affectum enim in magnis honoribus regit magnanimitas: in mediocribus virtus *ἀναισθησία*, quam *σπουδαίαν* vocare possumus, hoc nomine in bonam partem accepto. vide Arist. lib. 4. Ethic. c. 4. & D. Thomam q. 129. art. 2.

Duplex virtus circa honores, & duplex circa pecunias.

Petes, Cur non simili modo ponitur duplex virtus circa voluptates corporis, altera circa maximas, altera circa mediocres?

33
Cur non duplex circa voluptates, &c.

Respond. Quia illa virtus, quæ affectum moderatur in maximis voluptatibus, sufficiens est vt illum moderetur etiam in mediocribus, v. g. ciborum vel venereorum. cuius ratio est, quia idem motiuum seu obiectum formale in vtriusque spectatur: siue enim cibi sint multum delicati, siue parum, hoc tantum agitur vt eorum vsus externus sit temperatus, & interna affectio sub hac ratione in eorum vsum feratur. Itaque solum opus est vna virtus abstinentiæ, quæ sicut affectum & vsum temperat in magnis ciborum voluptatibus, ita & in paruis. Similiter in rebus venereis moderandis idem motiuum spectatur: siue magna in illis sit voluptas, siue parua; vnde eadem virtus castitatis vtriusque moderandæ sufficit. Pari modo fortitudo, quæ maximos timores mortis temperat, etiam ad mediocres pertinet: & mansuetudo, quæ maximas iras domat, etiam mediocres regit. Itæ enim virtutes non spectant nisi vnum obiectum formale, siue passio magna sit, siue mediocri. Cum enim voluptates maximæ, & timores magni, & iræ magnæ omnibus sint communes; nec in his magnitudo & mediocritas diuersum faciunt hominis statum, sufficit vna ratio honesti in quoque horum genere, quæ principaliter moderetur affectum in magnis, & secundariò se extendat ad moderandum in mediocribus.

Circa voluptates gustus.

Circa voluptates tactus.

Circa timores.

Circa iras.

Secus verò res habet in affectu pecuniæ & honoris: magni enim honores & magnæ diuitiæ sunt paucorum; vnde diuersum efficiunt statum, & consequenter mutant rationem decori & honesti. Hinc fit vt qui magnis honoribus sunt digni, vel magnas expensas facturi sunt, aliam rationem honesti in moderando affectu, & in vsu talium bonorum vel opum spectent & adhibeant, quam passim solent homines in mediocribus. Itaque alia est virtus circa magnos honores, alia circa mediocres. Confirmatur, quia magni honores pertinent ad eos tantum qui magna cogitant & moluntur; hi enim soli magnis honoribus sunt digni: atqui magna moliri, est proprium magnanimitatis: ergo moderatio affectus circa magnos honores, & rectus eorum vsus, pertinet ad magnanimitatem.

34
Circum honores & opes.

Simili modo expensio magnarum opum secundum

eundem rectam rationem non solet fieri nisi ad magnifica opera externa, quæ magnos sumptus requirunt; talia autem pertinent ad magnificentiam: unde etiam ad eandem pertinet, affectum in huiusmodi sumptibus regere. Longè autem aliud spectant homines ut moderentur affectum in mediocribus tum honoribus, tum sumptibus, ut per se satis constat. Non tamen negaverim, quin ex eodem motivo, quo magnæ opes vel magni honores contemuntur, possint etiam contemni parvi. Verùm quia plerumque aliud motivum respicitur, quando de magnis agitur, aliud quando de mediocribus: idè ad usum humanum & moralem diversa virtute opus fuit. Vide D. Th. quæst. 129. art. 2. ubi tamen paulò aliter hæc explicat, etsi in re non sit discrepantia.

35 *Per excessum, Cavavoria.*
Opponuntur magnificentiæ duo vitia, alterum per excessum, quod Aristoteles vocat *Cavavoria*, quasi dicat, operariam & indecoram diligentiam in sumptu faciendo; ut cum quis de industria sumptus auget supra quàm res poscat, aut decorum patitur; sicut faciebat ille, qui in filij epulo natali, omnes cibos cum patris argenteis, cum referrentur è mensa, proiciebat in Tiberim. Item qui in res parvas sumptus magnos facit, aut incòcinnè splendorem & magnificentiam ostentat; sicut ille, qui scenæ præpositus substernebat histrionibus purpuram; & mercator, qui conuiujs ad cœnam vocatis, cum hiems esset, faciebat ignem ex cinnamomo, &c. hos etiam *respondens* vocat Aristoteles, id est, decori inexpertos & ignaros.

36 *Per defectum, inoposita.*
Alterum per defectum, quod Aristoteles vocat *inoposita*, D. Thomas *paruiscentiam*, cum quis præ angustia animi, operi magno pares sumptus non exhibet: ut si Templo, vel Cœnobio, quod extruendum suscepit, veller facere parietes cratios, aut tectum stramineum, ut minus expendat. Hic (ut Aristoteles ait) *magna pecunia consumpta, in parua honestum omne perdet, & extinguet: quidquid facturus est, procrastinans, & cunctabundus efficiet, & qua ratione quam minimo sumptu id conficere possit, considerabit; & in his lamentabitur, & ingemiscet, omniaque se efficere maiora quam oporteat, arbitrabitur.*

Est peccatum veniale.
Hoc vitium per se non est nisi peccatum veniale; nisi fortè ex voto, testamento, vel alia ratione ad opus illud magnificum, in quo perficiendo deficit, sit obstructus.

DUBITATIO V.

Quid patientia, & longanimitas: & de illius incitamentis & gradibus.

Diuus Thomas quæst. 136.

Patientia dupliciter, iuxta D. Thomam, accipitur.

37 *Patientia quomodo sit pars integralis.*
Primò, Pro virtute, quæ firmat animum aduersus timores, & dolores mortis, & malorum mortem inferentium; quæ enituit maximè in Martyribus: hæc est pars fortitudinis integralis, vel ipsa virtus fortitudinis inadæquate concepta. de qua suprâ c. 1. dub. 1. huius libri tertij.

Quomodo potentia sit.
Secundò, Pro virtute, quæ in alijs malis animum confirmet, moderando mœrores qui ex illis

percipi solent; ne videlicet propter hos à præscripto rationis recedat, seu aliquid indecori agat: ut in morte parentum, filiorum, amicorum; in exilio, in damnis, in morbis, in contumelijs, alijsque id genus malis: hæc enim magnos mœrores adferre solent, qui hominem sæpè ab arce rationis, & officio virtutis deturbant, & ad malum concitant. hoc modo est virtus annexa fortitudini, ut secundaria principali.

Proxima igitur huius virtutis materia est tristitia & afflictio animi ob mala prædicta incidere solita: hanc enim vel planè comprimit, vel moderatur, ei quamdam sui similitudinem veluti formam imprimens, & ita eam temperans ut recta ratio præscribit, & virum patientem decet; nimirum, ut rationem plenè sui compotem relinquat, nec virtutes alias in suis officijs impediatur. Remota, sunt actiones, verba, & gestus externi, quæ ita regit, ut interna moderatio in eis eluceat; ita ut per tristitiam nihil indecori foris agat, sed mala seæquo animo ferre ostendat. Remotissima autem, sunt ipsa mala: hæc enim dicuntur materia patientiæ; non quòd patientia illis formam seu modum virtutis imprimat; (hanc enim solis affectibus internis & actionibus externis communicat) sed quia sunt obiectum & causa tristitiæ, quæ proxima patientiæ est materia. Simili modo pericula mortis dicuntur materia fortitudinis.

Sed Notandum est, hanc moderationem posse fieri dupliciter.

Primò, Ex affectu solius honestatis, qui in illa relucet. moderari enim tristitiam, & mentem in quadam æquanimirate conseruare, statumque externum corporis huic conformem reddere, per se bonum est & honestum. & hoc modo patientia est virtus specialis, à ceteris distincta.

Secundò, Ex affectu alicuius peculiaris virtutis, quæ per tristitiam & afflictiones oppugnatur. & hoc modo, quod ad internum affectum actualem vel habituales attinet, non est virtus distincta à ceteris: nam quæuis virtus sicut amat honestum sui generis, ita ex vi huius amoris resistit, quæ illi directè vel indirectè repugnant, animumque aduersus ea firmat. hoc modo passim accipitur in Scripturis, & Patrum scriptis, & in sermone vulgari. quicumque enim affectu alicuius virtutis moderatè fert afflictiones, patiens dicitur.

Hoc modo definitur à D. Augustino q. illa 31. ex Cicerone, cum ait: *Patientia est honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpassio. ubi illud honestatis, intellige generatim de omni honesto, quod propter se expetitur. Utilitatis, de eo quod ad aliud honestum vile est, ut si patiatis pecuniæ consequendæ causa, qua soluas creditori: nam solius utilitatis causa, si vile ab honesto distinctum sit, pati, non est virtutis patientiæ. Voluntaria, non quòd semper sit in potestate non pati; sed quia in potestate est malle pati quàm ab officio rationis desistere, quàm improbè vel indecorè agere. Diuturna, intellige vel in re vel in animi præparatione. debet enim patiens esse animo comparatus ad patiendum longo tempore, si opus sit. Eòdem pertinet descriptio D. Augustini, quam habet lib. de Patientia (quem ex Indiculo constat esse ipsius, etsi Erasmus reclamet) cap. 2. *Patientia hominis est, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per qua ad meliora perueniamus.**

Materia.

38 *Ex vario affectu possumus moderari tristitiam.*

Definitio Ciceronis.